SERIES ABBATUM MONASTERII O. S. BENEDICTI AD ST. PETRUM SALISBURGI

Benedettini

SERIES ABBATUM
Monasterii O. S. Benedicti
ad St. Petrum Salisburgi.

1\. 528. **S. Rupertus I.,** primus Episcopus et Abbas fundatorque monasterii ad S. Petrum Salisburgi, ex Francorum regum prosapia oriundus, per aliquot annos in episcopali munere Wormatiensi praefuit Ecclesiae. Inde, ut fertur, ab haereticis Arianis pulsus, rogatu Theodonis, Bavariae ducis, in Bavariam venit, et totam Bavarorum gentem, ipso duce et proceribus Ratisbonae baptizatis, primus ad fidem convertit, Bavarorum inde merito Apostolus appellatus. Totam dein Bavariam Noricumque peragrans, ubique uberrimam verbi divini sementem fecit, in eoque labore usque ad inferiorem Pannoniam penetravit. Inde reversus Celejae in Styria ossa S. Maximiliani Epi. et M. levavit et Laureacum transtulit. Oetingae fanum, quod septem planetis sacratum fuisse autumant, veri Dei cultui consecravit, in eoque miraculosam B. Mariae V. imaginem fidelium devotioni proposuit. Tandem ad lacum Wallarium, aedificata in honorem Apostolorum Principis ecclesia, sedem episcopalem constituere decrevit. Interim vero, cum comperisset, haud longe a lacu Wallario antiquae exstare rudera Juvaviae ibique Ss. Maximi et sociorum Martyrum, anno 477. ab Hunnis propter fidem trucidatorum, corpora sepulta, eo se contulit, et loci sanctitate et opportunitate motus, eo in loco sedem suam episcopalem stabilire constituit. Primum itaque super sepulchrum SS. Matyrum aediculam ad cultum divinum construxit, in eamque ossa S. Amandi Ep. Wormatiensis, quae ipse secum attulerat, adposuit. Dein per circircuitum hujus capellae, arboribus vepribusque excisis, locum SS. Martyrum sanguine sacratum, fidelium sepulturae destinavit. Denique S. Rupertus majorem coepit aedificare ecclesiam in honorem S. Petri et ad montis concava monasterii nostri icere fundamenta. Quibus perfectis ipse in Franciam, patriam suam, reversus, duodecim discipulis adscitis, inter quos S. Vitalis, Juvaviam rediit unacum S. Erentrude virgine, sorore

vel nepte Sua, quam in monasterio Nonnbergensi, quod et ipse aedificaverat, Abbatissam constituit. Ipse in monasterio S. Petri tanquam Abbas et simul totius Bavariae Noricique Episcopus cum subditis sibi clericis monachis residebat. Ne vero uberrimae messi operarii deessent, S. Rupertus in monasterio suo juvenibus ad ministerium divinum excolendis scholam aperuit, ex qua alacres prodiere sacerdotes, quos circumquaque ad praedicandum Evangelium dimisit, quin et ipse quoque, totam provinciam perlustrans, ubique praedicatione, consilio, institutione sacrum opus dirigebat. Dux Theodo et filius ejus Theodebertus recentem Ecclesiam terris censibusque largiter locupletaverunt. In Pongavia, ubi nunc Bischofshofen, S. Rupertus ecclesiam in honorem S. Maximiliani et cellas monachorum exstruxit, qui ibi mysteria divina celebrarent, et animarum curam agerent, ita ut ista statio pastoralis antiquissima in nostris montanis habeatur. Neque tamen S. Fundator noster unum illud necessarium, animarum scilicet salutem, sed corporum etiam prosperitatem procurarae gestiebat. Ut multa alia praeteream, ipsius industriae tribuitur, ut uberrimae Salisfodinae in monte Dürnberg, si non inventae, in usum verterentur ad maximum reipublicae emolumentum. Denique S. Rupertus, aetate gravis, S. Vitalem sibi successorem in Episcopum consecravit, et die 27. Martii, anni ut conjiciunt, 623, ipso Dominicae Resurrectionis festo, post solemnem Missam, quam, licet aegrotans, ipse celebraverat, inter discipulorum manas stans animam Deo reddidit. Corpus ejus in ecclesia nostra sepultum. post a. S. Virgilio in novam Ecclesiam cathedralem magna ex parte translatum est, altera pars in ecclesia nostra asservatur.

2. 623. **S. Vitalis,** simul Episcopus, ab ipso S. Ruperto ordinatus, cujus laborum apostolicorum socius et indefessus continuator, praecipue in comitatu Bisontio (Pinzgau) fuit. Mortuus est 20. Oct. 646. Sepultus ad St. Petri plurimis miraculis claruit, ut Leo X, P. P. 1519 ejus publicam venerationem in Officio et Missa concesserit.

3. 646. **Ansologus,** simul Rector Dioecesis Salisb. Obiit 1. Febr. 674.

4. 674. **Savolus,** simul Rector Dioecesis Salisb. † 680.

5. 680. **Ezzius,** simul Rector Dioecesis Salisb. † 1. Julii 703.

6. 703. **Flobargisus,** simul Episcopus † 12. Febr. 739.

7. 739. **Joannes I.,** a. S. Bonifacio, AEpo. Moguntino. Dioecesi Salisb. et Abbatiae S. Petri praefectus † 10. Jun. 745.

8. 745. **S. Virgilius I.,** Hibernus simul Episcopus, missis Modesto, Episcopo et Monacho, aliisque presbyteris et clericis,

Slavos Carantaniae ad fidem perduxit, sedem episcopalem in novam S. Ruperti ecclesiam, quam exstruxit, unacum potiori corporis S. Ruperti parte ex ecclesia S. Petri, residentia episc. ac juribus monasterio servatis. 733. transtulit, atque monasterio, a Com. de Chiemgau Ottingae fundato, (et c. 785 ad S. Michaelem Burae translato) primos monachos dedit † 27. Nov. 784. In ecclesia S. Ruperti sepultus, a Gregorio IX. P. P. 1233 Sanctorum catalogo adscriptus est.

9. 784. **Berthricus,** simul Rector Dioecesis Salisb. † 14. Oct. 785.

10. 785. **Arno,** prius Abbas Elnonensis in Brabantia, dein nostri monasterii, simul Episcopus, et ab anno 798 Archiepiscopus, Alcuini intimus amicus, scholam S. Petri quam maxime fovit, ecclesiam S. Michaelis in urbe aedificavit, rivum Albulam ad monasterium deduxit, Indiculumque donationum, ad S. Petrum factarum, confici jussit, ex quo documento apparet, quam soliciti fuerint praedecessores ejus, fidem praedicatam tam ecclesiis exstructis, quam cellis monachorum, v. c. Cellae in Pinzgau, in Gars, Cufstein, Au, Abersee etc. erectis, stabilire. Ipse quoque conversionem Hunnorum et Avarorum in Pannonia inferiori suscepit, ac Slavorum in Carantania continuavit, missoque Theodorico, Episcopo et monacho, firmavit † 24. Jan. 821, de ecclesia et republica eximie meritus.

11. 821. **Ammilonius,** simul Rector eccl. Salisb. † eodem anno.

12. 821. **Adalramus,** simul AE. egregius Doctor dictus, conversionem Slavorum pro viribus promovens † 4. Jan. 836.

13. 836. **Luipramus,** simul AE. de ecclesiis S. Ruperti 845 et S. Petri 847 igne consumtis, iterum exstructis, ac de fide Hunnorum Slavorumque stabilita optime meritus † 14. Oct. 859.

14. 859. **Adalbinus,** simul AE. „Pastor vigilantissimus“ praecipue Carantaniae et Pannoniae, quarum necessitatibus, ecclesiis plurimis dedicatis presbyterisque ordinatis, praevidit † 14. Mai 873,

15. 873. **Adalbertus,** simul AE. † 874.

16. 874. **Dietmarus I.,** simul AE. post multa egregie facta in bello contra Hungaros occubuit 21. Jul. 907.

17. 907. **Piligrinus I.,** simul AE. † 8. Oct. 913.

18. 913. **Udelbertus,** seu Ludebertus, simul AE. † 14. Nov. 835.

19. 935. **Egilolphus,** simul. AE. † 22. Aug. 940.

20. 940. **Heroldus,** ex comitibus de Scheyern, simul AE. 958 depositus, † 31. Aug. incerto anno.

21. 958. **Fridericus,** ex comitibus de Chiemgau, simul AE. 955 dignitatem abbatialem, cum episcopali hucusque conjunctam, et bona monasterio episcopatuique communia separavit, ac proprium Abbatem, Titonem, praefecit monasterio, cui ecclesias B. M. V. et S. Michaelis Salisburgi, porro in Anif, Grödig, Seekirchen, Weildorf et Wals cum ipsarum decimis ac praedium Breitenau etc. addixit † 1. Mai 990.

22. 988. **Tito,** antea eccl. cath. Praepositus, de monasterii restauratione eximie meritus † 18. Febr. 1005.

23. 1005. **Mazelinus** in solemni ecclesiae Nonnbergensis dedicatione 1009 surrepto S. Erentrudis osse, oculorum lumine privatus, et, abbatia resignata, eremita in vicino monte Geisberg defunctus, in eadem ecclesia Nonnbergensi humatus dicitur, † 17. Febr. anno incerto.

24. **Rupertus II.,** monasterio Elsenbacensi primum Abbatem et monachos dedit circa 1030.

25. **Rupertus III.**

26. **Gerwicus** † 28. Dec. incerto anno.

27. **Reginwardus** ad monasterium Admontense, a Gebhardo AE. Salisb. 1074 fundatum, primum Abbatem, Arnoldum et duodecim monachos sacerdotes deduxit † 17. Apr. 1077.

28. 1077. **Irimpertus,** resignavit 1079.

29. 1078. **S. Thiemo,** Comes de Medling, postulatus ex Altaha inferiori, artium liberalium peritissimus, Gebhardi AE. amicus, ejusque aerumnarum et exilii socius fidelissimus. Mortuo Gebhardo 1090 Archiepiscopus electus, et varie exagitatus, tandem in expeditione adversus christiani nominis hostes a Welfo, Bavariae duce, suscepta, a Saracenis captus, in Armenia pro fide martyrio coronatus est 28. Sept. 1102.

30. 1090. **Albertus I.** graves inter temporum perturbationes monasterium magna cum laude rexit et † 20. Febr. 1104.

31. 1104. **Wezelinus** monasterium monialium nostrae Congregationis ad S. Petrum 1113 fundasse legitur. Sub ejusdem regimine Conradus I. AE. residentiam episcopalem e S. Petro ad ecclesiam S. Ruperti, exstructa ibidem a fundamentis magnifica aula, transtulit, ac priorem cum omnibus aedificiis adjacentibus, monachis ad rupem hucusque degentibus in habitationem perpetuam 1110 tradidit. † Wezelinus 10. Febr. 1116.

32. 1116. **Reginbertus** postulatus ex monasterio Admontensi, silvas et paulo post ecclesiam in Abbatisaugia, cum omni

jure parochiali, donatione Conradi I. AE. 1124 acquisivit. Episcopus Brixinensis 1125 creatus, Abbatiam Wiltinensem restauravit, ac eremitas in monte S. Georgii, Regulam s. Benedicti eisdem tradendo, in monasterio collegit. † 13. Sept. 1142.

33. 1125. **Baldericus** ecclesiam et monasterium 1127 combustum, renovavit, et ecclesia B. M. V. Salisburgi, cum omni jure parochiali, nec non jure monasterii, Archiepiscopum eligendi, Canonicis regularibus, in ecclesia cathedrali a Conrado AE. introductis, ad petitionem ejusdem cessit 1139; reservatis tamen monasterio juribus, coëlectionis, dignioris prae Canonicis cathed. loci, sacrae provisionis domesticorum et scholarium, liberae sepulturae in coemeterio nostro, omnibusque decessae ecclesiae decimis, desuper accepta ecclesia in Hallein cum decimis ejusdem et omnium viginti quatuor patellarum sal. (Salzpfannen) ibidem. Idem praedium Dornbach ex dono Leopoldi Pii, Austriae Marchionis. antiquae monachorum nostrorum Cellae, verosimillime pro conversione Avarorum ibidem constructae, adjecit. † 5. Jan. 1147.

34. 1147. **Henricus I.** Praeposituram Wietingae in Carinthia, a Godefrido de Wieting fundatam ac donatam, monasterio adjunxit 1167. Episcopus Gurcensis ordinatus † 3. Oct. 1174.

35. 1167. **Henricus II.** professus noster, antea Abbas Biburgensis, dein nostri monasterii, ecclesiam S. Michaelis 1168 igne deletam, restauravit. Resignavit 20. Jul. 1188. † 27. Jun. anno incerto.

36. 1188. **Wichboto** † 10. Oct. 1193.

37. 1193. **Piligrinus II.** variis adversis agitatus 1195 resignavit; sed post abdicationem successoris sui.

38. 1195. **Conradi I.** prius Abbatis Seitenstadiensis, 1198 Abbatiam iterum suscepit. Piligrinus obiit 16. Aug. 1199.

39. 1199. **Simon I.** Eberhardum II. AE. erga monasterium nostrum munificentissimum expertus, † 1231.

40. 1231. **Bertholdus,** professus Buranus, Abbas Admontensis, dein nostri monasterii, curiam in Arnsdorf donatione Eberhardi AE. antiquae possessioni ibidem adjecit, et a Gregorio IX P. P. 1234 mitra, annulo et baculo past. decoratus, † 15. Jun. 1242.

41. 1242. **Richerus** monasterio Elsenbacensi licentiam, Abbatis sibi libere eligendi, 1223 dedit, tribusque ultimis annis partes depositi Philippi AE., eximii prius benefactoris monasterii, tenens, verosimillime jus, Archiepiscopum unacum canonicis cathedralibus eligendi, amisit † 10. Mai 1259.

42. 1259. **Albertus II.** in Schisma Philippi implicatus, contra interdictum sacra in sua ecclesia fieri permittens, depositus est 1263.

43. 1263. **Chuno,** monasterio cum Uldalrico AE. et Capitulo cathedrali reconciliato, resignavit 1266.

44. 1266. **Simon II.** jus patronatus ecclesiae Kirchberg in Carinthia donatione accepit, ac controversiarum pertaesus, abdicavit 1270. † 17. Oct. anno incerto.

45. 1270. **Dietmarus II.** antea Abbas Mühlstadiensis, Capitulo generali O. S. B. provinciae Salisb. interfuit, ac disciplinam monasticam, gravibus ecclesiae Salisb. procellis labefactatam, restauravit. † 25. Febr. 1288.

46. 1288. **Engelbertus** diuturnum bellum inter Rudolphum, Ducem austriae, et Archiepiscopum Salisb. expertus, Abbatiam deposuit 1297.

47. 1297. **Rupertus IV.** quinque campanas pro ecclesia monasterii fundi fecit. † 9. Jul. 1313.

48. 1313. **Conradus II.** de monasterio eximie meritus, † 21. Jun. 1346.

49. 1346. **Otto I.** Admontensis, diversa monasterii aedificia partim exstruxit, partim restauravit aut ampliavit, † 5. Jun. 1364.

50. 1364. **Joannes II.** (Rossi), monasterii jurium et bonorum defensor, † 19. Jan. 1375.

51. 1375. **Otto II.** (Kalchosperger), a Bonifacio IX. P. P. 1396 facultatem, calices, patenas, vestimenta sacra aliaque ornamenta eccl. benedicendi, obtinuit. † 20. Oct. 1414 de decore ecclesiae et re oeconomica optime meritus.

52. 1414. **Leonardus** (Putzner), † 4. Nov. 1416.

53. 1461. **Udalricus** (Plankenfelser), 1418 Praeses Capituli generalis O. S. B. provinciae Salisb. constitutus, † 5. Aug. 1420.

54. 1420. **Joannes III.** (Notzenhauser), vir magnae prudentiae et industrius oeconomus, † 16. Apr. 1428.

55. 1428. **Georgius I.** (Waller) visitationem et reformationem monasterii secundum statuta Sublacensia per Leonardum, Abbatem Mellicensem 1431 procuravit et magnis impensis ad effectum perduxit. Idem scholae nostrae Erhardum de Lainez Mag. AA. LL., discipulum eximii Dr. Nicolai de Dünkelsbühl, Rectorem acquisivit. † 28. Nov. 1435.

56. 1435. **Erhardus,** supra memoratus et interea monachus nostri monasterii factus, cui praematura morte est ereptus 25. Oct. 1436.

57. 1436. **Petrus** (Klughammer), in Visitatione Apostolica, ex Commissione Cardinalis Cusani per Martinum Abbatem Scottensem, Laurentium Cellensem et Joannem, Priorem Mellicensem 1451 peracta, propter monasterii disciplinam regularem laudatus, ab eodem Cardinali, Visitator Apostolicus monialium in Laengsee, Geisenfeld et Sonnenburg delegatus, et a Sigismundo AE. Visitator Monasteriorum Müllstadii, S. Pauli et Ad-Montes constitutus est. Praeterea de decore ecclesiae et re oeconomica nostri monasterii, nec non monialium nostrae Congregationis, quibus novum monasterium aedificavit, magna sibi merita acquisivit. Obiit 8. Febr. 1466.

58. 1466. **Rupertus V.** (Keutzl), ecclesiam S. Amandi in coemeterio, fere collapsam, e fundamentis exstruxit, sacram suppellectilem auxit, ac Praeposituram Wieting, ab Hungaris 1480 occupatam, paeneque devastatam, 1490 magno pretio redemit. † 13. Dec. 1495.

59. 1495. **Virgilius II.** (Pichler), custos disciplinae monasticae, † 9. Dec. 1502.

60. 1502. **Wolfgangus** (Walcher), singularis amator fratrum dictus, † 18. Jun. 1518.

61. 1518. **Simon III.** (Garchanez) resignata 1522 Abbatia, † 14. Jul. 1525.

62. 1522. **Joannes IV.** (Staupitz), eremita O. S. Augustini, Lutheri quondam Prior et Provincialis, post hac Concionator ecclesiae cathed. Salisb. tandemque ad instantiam Matthaei Lang AE. dispensatione apostolica, intra duos dies professus et Abbas noster. † 28. Dec. 1524.

63. 1525. **Chilianus** (Pitricher), monasterii spoliatione per rusticos rebelles 1525; permutatione parochiae Hallinensis incorporatae cum illa, jam a saec. XII. quoad jus patronatus nobis propria, Abbatisaugiensi 1533; devastatione Dornbachii per Turcas 1534; solutione gravis subsidii bellici, quod maximam s. suppellectilis partem devoravit, nec non zizaniis, a suo praedecessore per libros Lutheri inter fratres seminatis, exagitatus, resignationem sollicitans, periit in undis Sulmonis Styriae, quas scapho trajicere voluit, 13. Febr. 1535. Sepultus ad S. Petri.

64. 1535. **Georgius II.** (Oller), naufragii antecessoris sui socius, obiit 17. Mart. ejusdem anni.

65. 1535. **Aegidius** (Radlmayr,) vulnera monasterii, tam spiritualia, quam temporalia sanare laborans, † 8. Dec. 1553.

66. 1553. **Benedictus** (Obergasser), pater pauperum vitaeque regularis custos pervigil, prope monasterium villam e fundamentis extruxit. † 11. Apr. 1577.

67. 1577. **Andreas** (Graser) vir adhuc juvenis, monasterium debitis graviter onerans, monialesque nostrae Congregationis extinguendi ansam praebens, demum 1584 depositus † 13. Dec. 1609 ad Cellas Marianas Styriae.

68. 1584. **Martinus** (Hattinger) professus noster, Abbas Michaelburanus, dein nostri monasterii, doctrina ac monasticae disciplinae zelo conspicuus, magnam librorum copiam aliquot florenorum millibus comparavit monasterio, quod gravi alieni aeris pondere onustum, pristino flori restituit ac paene novum e fundamentis, adjutore Wolfgango Theogorico AE. fautore nostro munificentissimo, extruxit, ejusque bona, emto praedio Lind (Aiglhof) 1604, auxit † 23. Apr. 1615.

69. 1615. **Joachimus** (Buchauer) postulatus ex Fonte Wessonum, ideam Marci Sittici AE. Academiae Benedictinae Salisburgi instituendae, 1617 ad effectum perduxit, sicpue sibi et successoribus suis honorem et officium „Assistentis Universitatis Salisb. perpetui" promeruit. Idem 1619 Reformationem Cassinensem introduxit, 1624. Privilegia Cassinensia obtinuit ac ecclesiam monast. exstructo fornice altiorem fecit, eamque organo decoravit pretioso. † 21. Mart. 1626.

70. 1626. **Albertus III.** (Keuslin). Ottoburanus, antea Rector Universitatis Salisb. de Religione Benedictina, ornatu ecclesiae, et erectione Congregationis Benedictinae Salisb., cujus primus Praeses fuit; de Universitate, quam Convictu Religiosorum O. S. B. auxit; de Bibliotheca, quam aedificavit; de scientia et disciplina fratrum nec non de pauperibus exulibusque tempore belli eximie meritus. † 3. Jan. 1657.

71. 1657. **Amandus** (Pachler), monasterii jure dignioris loci DD. Canonicis cathed., reservatis quibusdam juribus, 1657 cessit, aedificium Conventus novum exstruxit praediumque Schilling 1661 coëmit. Omnibus acceptissimus ac vir singularis pietatis et eruditionis, quarum non pauca extant monumenta, † 9. Sept. 1673.

72. 1673. **Edmundus** (Sinhuber) praedium Mühlbach 1674 emit, aedificia atrii abbatialis aliaque plura de novo erexit, et a Deo, cujus regnum ubique quaesivit, in omnibus benedictus, † 2. Mai 1702.

73. 1702. **Carolus** (Schrenk de Nozing) † 30. Jul. 1704.

74. 1704. **Placidus** (Mayrhauser) alteram Bibliothecam, Novitiatum, Chorum Conventus, Sacristiam, Cryptam Abbat., Archivum aliaque plura extruxit, praedia Pabenschwand 1705 et Goldenstein 1711 coëmit, ecclesiae thesaurum magnis impensis auxit, adorationes SS. publicas 40 et 7 horarum etc. introduxit, scientiasque ac disciplinam fratrum quam maxime promovit. † 23. Sept. 1741.

75. 1741. **Godefridus** (Kroell) vir piissimus, domum parochialem in Abbatisaugia et Vicariatus S. Annae, ibidem 1752 erecti, ecclesiam ac sacerdotis aedes magna pecunia novas exstruxit † 26. May 1753.

76. 1753. **Beda** (Seeauer), ecclesiam ac monasterium magnis expensis restauravit et decoravit, pretiosoque suppellectili instruxit; turrim altiorem aedificatam et cuppam ecclesiae cupro tegi altariaque marmorea fieri fecit; scholam im Abbatisaugia novam atque praedium Weichselbaum 1781 combustum denuo aedificavit. Vir piissimus et doctissimus ac religiosae disciplinae eruditionisque fratrum studiosissimus, † 21. Dec. 1785.

77. 1786. **Dominicus** (Hagenauer), vir insignis prudentiae, constantiae ac pietatis, hostilium invasionum onere pressus, nihilominus paludes in Rietenburg magnis sumtibus exsiccavit, praedium Lind paene novum erexit, aedificia oeconomica in Abbatisaugia et villam in Arnsdorf 1801 concrematam e fundamentis extruxit et ecclesiam in Grödig 1807 igne devastatam restauravit. Sub ejus regimine Universitate Salisburgi Benedictina 1810 extincta, Superioratum Plain, vi fundationis instrumenti 1675 Maximiliani Gandolphi AE. optimo jure, ad nostrum monasterium devolvit, quae devolutio 1823 demum effectum sortita est. † 4. Jun. 1811, de urbe et provincia Salisburgensi optime meritus. Successit post Administrationem quinquennalem sub regimine Bavarico

78. 1816. **Josephus** (Neumayr), qui a Maximiliano I. Bavariae rege, pro monasterii censibus, in ejus regno sitis, prossessiones Salisburgenses suppressi Ordinis equitum S. Ruperti obtinuit et unacum monasterio Michaelburano Gymnasium Salisb. Professoribus, sine ullo subsidio publico, a Francisco I. Austriae Imperatore providendum suscepit. † 25. Apr. 1818.

79. 1818. **Albertus IV.** (Nagenzaun), Ecclesiam claustralem intus renovandam ac navim ejus cupro tengendam, ecclesiam B. M. V. in Kirchberg 1837 fulmine incensam, restaurandam, ecclesiam B. M. V. in Plain, vi fundationis demum 1823 traditam, in omnibus renovandam, aedes scholares in Abtenau et Russbach 1829, in Annaberg 1839, et in Dornbach 1841, domo parochiali ibidem

jam 1829 e fundamentis exstructa, aedificandas curavit. Collectiones rerum naturalium, tam mineral. et botanic. quam zoolog. maxime auxit; res archivales et sedulo augmentavit et indefessa diurna nocturnaque manu disponens in Repertorio alphabetico composuit, tandem diuturnis ac gravissimis pro bono Monasterii laboribus confectus obiit 29. Sept. 1856 S. Professione et Sacerdotio Jubilaeus.

80. 1857. **Albertus V.** (Eder) absolutis studiis theologicis per quatuor annos curae animarum in Abtenau et per septem annos erudiendae juventuti literarum studiosae in C. R. Gymnasio usque ad 17. Jan. 1856 operam navaverat.